



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

30. An Confessarius de licentia poenitentis possit revelare Confessionem?  
Et notatur non sufficere quamcumque licentiam praesumptam,  
interpretativam, virtuaalem, etiam in bonum ipsius poenitentis, ad ...
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

*Confessarius vero nequidem, quod fornicationes suas sibi confessa sit directe, aut indirecte, puta, dicendo, quod eam à peccatis suis publicis absoluit, indicare potest.*  
Ex part. 5. tr. 11. Ref. 40.

§. 1. **H**ic casus est practicabilis. vt Parochus, v g. det sacram Eucharistiam, vel sepulturam Ecclesiasticam publico vsurario, vel meretrici. Et affirmatiuam sententiam tenet Fagundez *præc. 2. lib. 6. cap. 1. num. 19.* cum multis DD. asserentibus testimonium Confessarij cum licentia expressa penitentis datum valere, vt in foro externo probetur penitens emendatus de crimine commissio publicè, aut publico scandalo. Et ideo Malderus *tract. de sigillo, cap. 12. in fine.* sic ait: Infertur quando publica meretrix est confessa mendicanti Religioso, non posse Pastorem petere testimonium à tali Confessario, quod verè de peccato suo publico penituerit, confessa & absoluta sit, hoc enim sine licentia peccatricis Confessarius non dicit, & etiamsi secretò dixerit ipsa consentiente, publicè administrato Parocho non sufficit, sed antequam sacram Eucharistiam ei publicè administret, aut ei sepulturam Ecclesiasticam concedat oportet constare publicè quòd penituerit, quæ publicè peccauit. Confessarius enim ne quidem quòd fornicationes suas sibi confessa sit directè, aut indirectè, puta dicendo, quòd eam à peccatis suis publicis absoluerit, indicare potest; sed eo casu sufficit in genere Parochum scire quòd sit confessa, modò publicè etiam sciatur conuersa, puta per reuentionem publicam Confessarij de licentia peccatricis, aut quòd coram pluribus protestetur ipsa se de peccato isto dolere. Sine publica autem ista notitia, aut detestatione non sufficit sacramentalis Confessio, aut absolutio etiam Parocho facta, quia talis satisfactio debetur Ecclesie, & alioqui scandalum esset margaritam spargere ante porcos. Ita Malderus. Vide etiam Suarez in *3. p. tom. 2. disput. 7. sect. 5. à num. 20. & apertius num. 46.* Henriquez *lib. 3. de Penitente. cap. 23. num. 2. in fine* Navarrum in *cap. 1. de penitente. dist. 6. num. 90.* Gutierrez in *Can. 99. lib. 1. cap. 2. n. 9.* & alios.

Quoad hoc lege infra ex Ref. 58. 6. Notandum est, & supra ex Ref. 10. §. vii.

## RESOL. XXX.

*An Confessarius de licentia penitentis possit reuelare confessionem?*  
*Et notatur non sufficere quancumque licentiam præsumptam, interpretatiuam, virtuales etiam in bonu ipsius penitentis ad reuelandum sigillum confessionis, sed requiri formalem, atque expressam, & debet esse libera, spontanea, & non vi, iniuria, aut dolo extorta, imò neque per preces importunas; adde, neque per metum reuerentialem ipsius Confessarij obtenta.*  
*Et aduertitur penitentem posse renouare hanc licentiam quoties voluerit, etiam absque iusta, & vlla causa.*  
Ex part. 5. tr. 11. Ref. 10.

§. 1. **N**egatiuam sententiam docet Alensis 4. q. 78. mem. 3. Scot. in 4. dist. 21. q. 2. art. 1. Almayn. *ibid. q. 1. in fin.* Aureolus & Durand. *ibid. q. 4. Maior. ibid. q. 3. art. 3.* Gabriel. *ibid. q. vnic. art. 3. dub. 4.* & Angel. *ver. confessio 8. §. 5.* Probat hanc opinio. Primò, quia præceptum sigilli est de iure diuino: incommodum autem est, vt homo priuatus, qualis est penitens, in præceptis diuinis dispenset. Secundò, quia Confessarius ea, quæ via confessionis scit, scit vt Deus, ergo non potest penitens ei dare licentiam, vt loquatur homo, quia iam forus internus penitentia mutabitur in externum, & forus poli in forum soli ad arbitrium penitentis. Tertiò, quia licet possit

penitens cedere iuri suo, non tamen potest cedere iuri sacramenti, cum hoc sigillum sit introductum ex primaria Christi institutione in religionem Sacramenti, secundariò verò in fauorem penitentis.

2. Verùm contrariæ sententiæ tanquam communi adhæreo, quam tuetur D. Thom. in 4. dist. 11. q. 3. art. 3. Tanner. *tom. 4. dist. 6. q. 9. dub. 6. num. 125.* Valq. in 3. p. tom. 4. q. 93. a. 4. dub. 7. Suarez in 3. p. tom. 4. disput. 33. sect. 5. num. 8. Valq. 993. a. 4. dub. 5. Ochagau. *de Sacram. vr. de sigillo, q. 5. num. 3.* Præpos. in 3. p. q. 111. *de sigillo, dub. 6. num. 43.* Hurtad. *de Sacram. dist. 12. de penit. dist. 6.* Couarr. in 4. Decret. p. 2. c. 8. §. 12. & ratio est, quia secretum sigilli licet fuerit imperatum in dignitatem ipsius Sacramenti, principaliter tamen & primo loco fuit imperatum in fauorem personæ confitentis, vt facilius & suauis reddatur confessio, ergo eo ipso quòd quis cedit iuri suo, non fit iniuria sacramenti, sicut si quis sub iuramento promittat alicui centum, & ille postea remittat promissionem, tollitur omnis obligatio seruandi promissionem, quia hæc principaliter ordinatur in fauorem personæ, cui promittitur, quam in Dæcultum & reuerentiam, quæ licentia debet esse spontanea, & expressa sufficienter.

3. Notandum est tamen hic non sufficere quancumque licentiam, præsumptam, interpretatiuam, virtuales, etiam in bonum ipsius penitentis, ad reuelandum sigillum confessionis, sed requiri formalem, atque expressam. Ita DD. penes Fagundez *pr. 2. lib. 6. c. 1. num. 14.* qui etiam n. 18. rectè notat, penitentem posse reuocare hanc licentiam quoties voluerit etiam absque vlla causa, quia dominus est illius actus.

4. Nota etiam quòd licentia expressa penitentis manifesta ad peccata audita in confessione debet esse libera & spontanea, non vi, iniuria, aut dolo extorta, imò neque per preces importunas, adde neque per metum reuerentialem ipsius Confessarij obtenta. Ita Fagundez *loc. cit. num. 21.* & Henricq. *lib. 3. de penitente. cap. 23. num. 1. in fine.* nam in dictis casibus licentia erit nulla, & Confessarij propriè frangent sigillum. Vnde Magistri Nouitiorum, vel alij Superiores, aut quicumque alij Confessarij aduertant quid faciant, quando licentiam petunt à penitentibus manifestandi aliqua delicta in confessione audita: nam, vt rectè obseruat Fagundez in nostro casu sola præsentia & auctoritas Confessarij sine minis, & vultuum inuersionibus sufficere ad inducendum metum reuerentialem, & vt non valeat licentia data cum eo metu ad reuelandam confessionem, tum propter reuerentiam, quam omnes solent habere erga Confessarios, quæ sine dubio excedit reuerentiam filiorum in parentes, tum propter reuerentiam Sacramenti, ne paulatim illius religio deperat. Hæc Fagundez. Vnde faxit Deus has licentias vt plurimum non esse inualidas. O quàm fecde labuntur aliqui circa fractionem huius sacri sigilli!

## RESOL. XXXI.

*An Confessarius, quando penitens dat ei licentiam reuelandi confessionem, debeat illam exigere in scriptis?*  
*Et in prædicto casu, si dubitetur, an ea reuelata sint, vel non fiat de licentia penitentis, credendum sit testimonio Sacerdotis, & non penitentis?* Ex part. 5. tr. 11. Ref. 41.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Aldrete *de religio disciplina iur. da. lib. 2. cap. 19. §. 1. n. 6.* existimans licentiam in scriptis petendam esse à penitente.